

*60. Instrumentum donationis di Giovanna
de Meranio di Potenza in favore di
Andrea de notario Andrea, procuratore
del capitolo della cattedrale di Potenza*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*60. Instrumentum donationis di Giovanna
de Meranio di Potenza in favore di
Andrea de notario Andrea, procuratore
del capitolo della cattedrale di Potenza*

1362-12-20

Andrea de notario Andrea, procuratore
nel capmine della domania nostra

(c. 242v) Iesu Christi amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo tricentesimo sexagesimo secundo, regnante serenissima domina nostra domina Ioanna Dei gratia inclita Hierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno vigesimo feliciter amen, mense decembris, die vigesimo eiusdem, prime indictionis, apud civitatem Potentie.

Nos Iacobus Cumbus annalis iudex civitatis eiusdem, Nicolaus de Lavena de Brundusio de Montanea publicus ubilibet per provincias Terre Laboris et comitatus Molisii, Principatus citra et ultra serras Montorii, Capitinate, Basilicate, Terre Bari et Terre Ydronti regia et reginali autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico notumfacimus et testamur quod Ioanna de Meranio de Potentia mulier, mero iure Romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres ditte civitatis Potentie ab antiquo vixerunt et vivunt, in nostri presentia constituta in episcopali palatio Potentino non vi cohatta, non dolo, nec metu dutta nec aliqua suasionem circumventa, ut dixit, sed sua bona, libera et spontanea voluntate, ut dixit, pro remissione suorum peccaminum liberaliter donationis titulo inrevocabiliter inter vivos dedit, tradidit et per fustem assignavit iure proprio et // (c. 243r) inperpetuum donationis titulo inrevocabiliter inter vivos dopno Andree de notario Andrea de eadem terra Potentie, canonico et procuratori maioris ecclesie Potentine seu capituli ipsius maioris ecclesie, de cuius procuracione nobis constat per prothocollum notarii Angeli de Bono Pari de Potentia puplici notarii eiusdem civitatis Potentie,

ibidem presenti et recipienti pro parte luminariorum ditte maioris ecclesie Potentine, cum voluntate et consensu reverendi et in Christo patris et domini domini Ioannis Dei et apostolice Sedis gratia episcopi Potentini, ibidem presentis et suum assensum et consensum eidem domino Andree ad ipsam causam prestantis, omne ius quod habet tam in proprietate quam in potestate et etiam usufructum in quadam petia terre ipsius Ioanne sita in tenimento Potentie, in contrata Putei Falesii, cuius fines hos esse dixit: ab una parte tenet Goffredus de Picerno; ab alia parte tenet ecclesia Santi Girardi; ab alio latere tenent heredes Goffredi de Orco et si qui alii sunt confines, ad habendum, tenendum, possidendum, utifruendum et permutandum dittam petiam terre nomine et pro parte dittorum luminariorum, cum accessibus et egressibus suis usque in vias puplicas omnibusque iuribus et pertinentiis suis; promittens ditte Ioanna per se et suos heredes ditto domno Andree, nomine et pro parte dittorum luminariorum // (c. 243v) stipulanti, predittam donationem firmam et ratam habere perpetuo et tenere et nullo unquam tempore contra eam venire, de iure vel de fatto, in iudicio vel extra iudicium, per se vel aliud, aliqua ratione vel causa sub pena unciarum auri untie, medietate ipsius pene reginali et imperiali curie et reliqua medietate dittis luminariis persolvenda, me preditto notario publico pro parte ditte curie et ditto domno Andrea pro parte dittorum luminariorum solemniter et legitime stipulantibus penam ipsam. Qua pena soluta vel non soluta aut gratiose remissa, preditta omnia et singula firma perdurent; et renuntiavit ditte Iohanna specialiter et expresse super premissis legi que dicit donationem propter ingratitudinem (con)missam donatori et recipienti donationem vel aliam iustam

*causam posse revocari vel annullari ac illi
etiam legi que dicit generalem renuntiationem in aliquo
non valere, similiter renuntiavit legi que prohibet penam
in contrattibus adhiberi et omni alii legum et iuris auxilio
quo vel quibus possit dicta donatio seu huiusmodi scripti
tenor in aliquo annullari nec etiam revocari, certiorata
prius dicta donatrix de predittis iuribus et effectibus
eorundem. Iurans insuper preditta donatrix in manibus
ditti domini Andree ad santa Dei evangelia corporaliter
tatta // (c. 244r) predittam donationem et omnia et
singula suprascripta firma et rata habere perpetuo et
tenere et nunquam contra facere vel venire, per se vel
alium, omni dolo et fraude cessantibus; item voluit dicta
donatrix quod si in presenti contrattu aliqua solemnitas
iuris deficeret, tacite intelligatur in eo et refici possit
et valere semel et pluries et quotiens opus erit, iuxta
consilium sapientis, veritatis substantia non mutata.
In cuius rei testimonium et dittorum procuratoris et
capituli eorumque successorum securitatem perpetuam
et cautelam, presens publicum instrumentum exinde
factum est per manus mei preditti notarii, signo meo
solito signatum, subsignatione mei qui supra iudicis
et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus et
subsignationibus roboratum.*

1

2

*Quod scripsi ego idem Nicolaus ut supra publicus et meo
consueto signo signavi. (SN) † Ego Iacobus Cumbus
iudex civitatis Potentie qui supra † Ego presbiter*

*Così S per errore, non si può stabilire l'ammontare della pena
Così S per a donatario*

Angelus de Diano archipresbiter Santi Michaelis testis
interfui † Ego presbiter Nicolaus Tarallus interfui † Ego
Raimundo de Montesano <*sic*> testis interfui